


6
14 D
34



LUDOVICI CAIETANI
DE LIMA
CLER. REG.

CARMINUM
LIBRI III.

ANTIQUIORIS, BENEVOLIQUE AMICI
Curâ in lucem editi.







OLISIPONE,
Ex Typis JOANNIS BAPTISTÆ LERZO.

Anno M. DCC. XLIII.
Solitis facultatibus obtentis.

FACULTAS
SANCTI OFFICII.

EMINENTISSIME DOMINE.

PAri aviditate, ac voluptate perlegi, inſpexique Epigrammata hæc Rever. P. D. Ludovici de Lima. In illis nihil Cenſura dignum, ſed omnia laude deprehendi. In omnibus namque, ſi conceptus quæras, acumen; ſi verba ponderes, proprietatem, elegantiam, eloquentiamque; ſi verò regulas poeticæ examines, omnes ad unguem obſervatas miraberis. Epigrammatis quoque addit Epici gravitatem verſûs, ſaphicique dulcedinem, qua ſupremi, tremendi judicii amaritudinem (ut ut fieri poteſt) condire ſatagit, & canendo mulcere, & memorando cavere. Hinc eſt, quòd credam, opus hoc omni ex parte dignum, quòd publici juris fiat; ut pateat omne in eo punctum Authorem tuliſſe. Ulyſſip. in Congregatione Oratorii 2. Aprilis. 1743.



Philippus Tavares.

ORDINARII.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

EX imperio V. Excellenciæ legi Epigrammata a R. P. Ludovico de Lima Clerico Regulari affabre elaborata, & in tres Libros digesta. Legi, inquam, non ut Aristarchi munus agerem, mordaci-ve Lima uterer, sed potius ut Opus ultima lima expolitum citrà adulationem commendarem. In hoc igitur Opere æquè delectat rerum varietas sale condíta, & carminum acumen. In varietate Ovenium æmulatur, in carminum, & dictorum acumine ità Martialem æquat, ut de ingeniosissimo Authore non incongruè dici possit.

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.
(Horat in Art. Poet.)

Utile, inquam, iis enim Epigrammatibus, non solum tyrones, & poæticæ artis candidati, sed etiam veteres, & jam rude donati Parnasi cultores, Musarumque concives erudiri possunt. Dulce; elegans siquidem, concinnaque carminum structura ita legentium oculos allicit, ut mirâ quadam dulcedine animos, mentesque inescet. Cùm ergò his

his Epigrammatibus aptari non possit, quod de suis carminibus Poætarum Princeps pronunciavit:

Defuit & scriptis ultima lima meis.
(Ouvid. lib. 3. eleg. 6. Trist.)

Nè furtum, aut injuria fiat Reipublicæ Litterariæ, typis mandari debet opus, ut à peritis nocturnâ, diurnâque manu versari possit, si V. Excellenciæ placuerit. Ulyssip. in Domo Professâ D. Rochi Societ Jesu 30. Aprilis 1743.



Antonius Ferreira.

SENA-

SENAATUS SUPREMI.

DOMINE.

Legenti mihi, ac relegenti pari ſtudio, & voluptate Reverendi admodum Patris D. Aloyſij de Lima in tres Libros, ſeu claſſes diſtributa Epigrammata, quædam ſe offerunt, quæ alicui fortaſſe videbuntur parùm religioſa, imo perfidiam ſapientia. Neque hunc ſaporem videtur Author eluere proteſtatione ad calcem ſubſcripta, quòd Fata, Numina, Deos, Jovem, aliaſque hujuſmodi voces adhibeat Latini Sermonis integritati conſulens, eaſque non niſi Chriſtiano uſui, notionique ſubjectas uſurpet: prius enim conſulendum puritati Romanæ Fidei, quàm Sermonis: atqui non ſatis ſervare incòrruptam Religionem apparet, qui Neptuno, Apollini, Cereri, Junoni, aliiſque Dijs gentium commentitiis vota nuncupat, preces deſtinat, aras conſecrat, honores immolat: ut præſertim in 4. 24. 33. 38. 42. Epigrammatum primæ Claſſis, ſeu Libri, Author præſtat. Sed quis iſte oblatrator, qui caninis vociferationibus Pindum attonat, ejuſque cultorem excultiſſimum dentibus exertis, & invidiæ toxico lividis inſectatur? Abſit, ut Martialis Chriſtianus, cùm Neptuno, Apollini, Cereri, Junoni vovet, litat, precatur, plura, & falſa Nu-

mina

mina vel animo complectatur, vel ore efferat, sed unam, eandemque Deitatem nunquam non solicitet, summam, & veram: quam videlicet, dum mare regit, Neptunum, dum ægris opitulatur, Apollinem; dum terram fæcundat, Cererem; dum nuptiis favet, Junonem rite appellitat, nominibus omni ethnica usurpatione expiatis, atque in usum, sensumque orthodoxum Sanctissimo Pierij Senatûs Consulto scite deflexis. Taceat igitur, & toto exulet Parnasso, quisquis impius oblatret in nostrum omnibus numeris absolutum Epigrammatographum: cujus si nomen, luce enatum consideres, poetarum nemo illustrior; si cognomen e Lima ductum, nemo Limatior; si genium, nemo blandior; si ingenium, nemo cultior; si eruditionem, nemo vastior; si eloquium, nemo facundior; si Rhythmum, nemo suavior; si musam, nemo festivior; si versum, nemo tornatior; si mente conceptum, nemo subtilior; si dictum, nemo gravior; si doctrinam, nemo sanior; si Religionem, nemo purior, nemo integrior, nemo illibatior. Porro censeo tanti Martialis opus, vel dicam potius Lusitani Apollinis monumentum, ut ore omnium versetur, & manibus, suisque ubique gentium excipiatur plausibus, typis credendum; ac luce, qua privata a suo Authore jam fruitur, publica à Maiestate Vestra donandum. Lisbonæ in Domo Professa Divi Rochi 30. Maij. 1743.

Bartholomæus de Vasconcellos

LUDOVICI CAIETANI
DE LIMA
CLER. REG.

CARMINUM
LIBER I.

Amicum precatur, ut sibi missos Libellos emendet.

EPIGRAMMA I.

Carmina, quæ lusi invitâ fortassè Minervâ,
Hæc tua perpoliat docta litura, velim.
Quidquid in his vitii, quidquid deforme notabis,
Huic miniata fiet Cerula grata comes.
Doctior haud alius Censoris munere fungi,
Scireque qui madeant Palladis arte sacræ,
Pindi celsa tibi referat penetralia Phœbus,
Ut valeas Dio comminùs ore frui.
Te Latii sermonis honos, te copia ditat;
Et renovas chartis sæcula prisca tuis.

Quin

Quin & Pieriâ imbutus dulcedine pectus;
Orphei sollicitas digniùs ipse chelyn.
Dexter adeste meis placeat si fortè libellis,
Et facilis vultu carmina nostra feras:
Non ego Prætoris vereor perterritus urnam;
Rodat multa licet pectora Livor edax.

Ad librum suum, quem ad exteras Regiones mittit.

EPIGRAMMA II.

I Liber, & notos felix invise Penates;
Atque moræ impatiens carpere perge viam:
Non te detineant pigri gelidique Triones,
Nec concreta gravi terreat unda gelu.
Dulces docta modos ibi gens charissima degit;
Gensque sciens cytharæ, Pieridumque comes:
Excipiet te blanda domi, hospitioque fovebit,
Atque dabunt aptum scrinia pulchra locum:
Non minus Oenotriis quùm vel successeris Oris,
Hospita tecta tibi pandet amica domus.
Incolit has etiam proles Latoïa sedes;
Carminis hicque ferax castalis unda fluit.
Eia age, perge liber; rostro qui rodat adunco,
Nullus ibi vultur; livor & omnis abest.

Excellentissimus Galliæ Legatus convivator magnificus, & assiduus.

EPIGRAMMA III.

Jure putant homines epulis accumbere Divûm;
  Instituunt lautas quùm tua jussa dapes.
Mensæ aliæ alliciant structæ miro ordine Reges;
  Mensa hæc convivas poscit habere Deos.
Quidquid alit tellus, quidquid mare, quidquid & aer;
  Hoc tua mox profert officiosa penus.
Huc coeunt Junonis aves, huc Phasidis ales;
  Hucque venit perdix non satis apta thoro.
Cernitur hîc salmo, tractusque Acipenter abundis;
  Et fluvialis honos, grataque præda lacûs.
Massica pura cadus, campanaque cæcuba fundit;
  Proferturque Chius, Lesbius atque Latex.
Mille hîc argenti cœlati pondera fulgent;
  Vasaque Mentoreâ plurima sculpta manu.
Sed licet assiduo instaures convivia luxu,
  Rara alibi structa est hospita mensa tibì.
Insimulare alios comis tamen ipse recuso:
  Parciùs invitant, quòd tua mensa frequens.

Votum Neptuno pro classe è portu in Indiam solvente.

EPIGRAMMA IV.

QUæ patrio, Neptune, rates è littore solvunt,
Fac, possint tutò verrere stagna maris.
Tu potis est motos nutu compescere fluctus,
Et pelagi tumidas flectere voce minas.
Æolus æterno ventos fac carcere frænet,
Tranquillo & spiret dulcior aura freto.
Sic tibi Circenses instauret martia ludos
Roma, & Cecropiæ stet tibi sedis honos;
Sic tua Tœnario caleant altaria thure,
Spartaque sollicitè sic tua templa colat.

Amici Natalis dies.

EPIGRAMMA V.

ALma dies propera nostras invisere sedes;
Ingeminaque urbi gaudia blanda redux.
Munera, quæ nobis largita es, fausta tuere;
Fac etiàm felix totus ut annus eat.
Hoc domus exposcit, superos hoc ritè precatur;
Urbis & hoc passim vota iterata petunt.

Sic te nimbofus nunquàm deturpet Orion ;
    fic te nec denfâ grandine fœdet hyems.
Sic tibi feftino Titan affulgeat ortu ;
    Tardior & feffos æquore mergat equos.

Taurorum agitatio.

EPIGRAMMA VI.

BArbara Romuleæ fileant fpectacula gentis ;
    Nec jactet ludos plebs Tiberina fuos.
Qui modò feftivè noftrâ præftantur in Urbe ;
    Ingenium hi nobis mitius effe probant.
Non hîc defævit rubrâ gladiator arenâ ;
    Corpora nec laniat bellua fæva virûm.
Doctus eques torvos agitare in prælia tauros ,
    Gaudia dat tutò , cædit & arte feras.
Hinc populi fequitur plaufus , quin ingruat horror :
    Noftrisque hinc ludis gratia maior ineft.

De fene avaro.

EPIGRAMMA VII.

JAm tua deturpant albentes tempora crines ;
    Et matura tibi , fummaque meffis adeft.

To

Te tamen urget adhuc rerum furiosa cupido ;
Nummûm & sollicitus tempore crescit amor;
Tristis avaritiæ rabies tua viscera rodit ;
Pallor inextinctam prodit & ore sitim.
Nulla inopum tibi cura subest ; Altaria Divûm
Sacra tuo nunquàm thure calere facis.
Pondera sic auri ferratâ condis in arcâ ,
Urna brevî cineres condet ut arcta tuos.
Quas temerè absumet gazas inglorius hæres ;
Has impende pius , dum licet , ipse manu.

De tranquillitate vitæ, quâ fruitur Aulus, ad exemplum Martialis.

EPIGRAMMA VIII.

NOn urbana pati Spartani frigora saxi ,
Nec solet albatis candidus ire comes.
Stemmate non Auli præfulgent atria longo ;
Tecta nec immodicis intùs imaginibus.
Synthesibus non arca micat , non præla lacernis ,
Galbana , nec coccus , non toga plexa placet
Farta Ceres propriis premitur , nec plurima clivis ,
Raraque , sed senior Cæcuba testa flagrat.
Mentoris eximios irridet mensa labores ,
Atque merum pateris purpurat innocuis.
Nunc iteranda Aulo , rogitas , ʾan vota supersint ?
Hoc unum : noscat quòd bona tanta probé.

Amicus

Amicus ex inimico.

EPIGRAMMA IX.

Quos hucusque odiis certantes vidimus urbe,
Hos modò conjungit fœdere pacta fides.
Discessere iræ, sedat concordia motus;
Nemoque fulmineas parturit ore minas.
Nil mirum: excipiunt veris sic tempora brumam;
Nubibus & sparsis sic redit alma dies.

In amicum frequenter medicamentis utentem.

EPIGRAMMA X.

Parciùs utaris validâ medicaminis arte,
Doctâ nec studeas cuncta fovere manu.
Non opus est sumas leviori pharmaca morbo:
Sponte suâ tenuis febris abire solet.
Sæpè etiam requies minuit, pellitque dolorem;
Et coeunt nullo vulnera fota oleo.
Non opus est jaculo leporem secteris inertem;
Utque abigas œstrum, non eget ense latus.
Nil quod agas superest, gravior quùm morbus adhæret,
Si levis exhausit pharmaca cuncta timor.

Summma latronum protervitas, & impunitas.

EPIGRAMMA XI.

PRædonum malè fida cohors, mercuria proles,
Urbem sollicitat nocte, dieque simul.
Nullum clausa latent domuum penetralia furem;
Nullaque jam tutas arca recludit opes.
Ædes, templa, Lares, Divumque sacraria vexat,
Diripit indomitâ condita quæque manu.
Hæc gessisse parum: nondùm saturata quiescit;
Torquet adhuc nummûm pectora dira sitis.
Quò furat impunis, rapuit quoque judicis urnam,
Furcamque, & meritas abstulit urbe cruces.

Importunus salutator.

EPIGRAMMA XII.

OFficiosus ave dicturus compita quæris;
Quùm vasto emergunt gurgite solis equi.
Nec minùs Occiduas quùm Sol festinat ad undas,
Ferre soles cunctis officiosus ave.
Siste salutator: veniet sic parta labore
Tuta salus aliis, sed tibi nulla quies.

Ambu-

Ambulator perpetuus, nunquàm ſiſtens.

EPIGRAMMA. XIII.

STare loco neſcit Paulus, neſcitque ſedere;
Atque moræ impatiens itque, reditque viam;
Atria vix iniens domuum penetralia luſtrat,
Atque alacer curſu limine rurſùs adeſt.
Devorat ille vias: Arcton citò jungit & Auſtrum;
Jungit & Eoas, Heſperiaſque plagas.
Tanti geſta viri quænam ſint, fortè requiris?
It celer, & remeat, fertque, refertque pedem.

Avarus mortem ſibi exoptans.

EPIGRAMMA XIV.

IMmanes qui fœdè auri cumularat acervos,
Clauſaque cui miſeras arca flagellat opes.
Nunc extrema ſibi properari fata peroptat;
Luceque faſtidit, divitiiſque frui.
Non tamen hunc credas prætæſum degere vitæ,
Illa quòd æternis ſit maculata notis:
Carpere vitales detrectat longiùs auras,
Nè ſenio abſumat, quas cumulavit, opes.

Avari magnificum Sepulchrum.

EPIGRAMMA XV.

U Rna ſepulchralis, ſacrâ quam cernimus æde,
 Quàm benè, quàmque extat divite ſtructa manu!
Æmula Mauſoli fit moles iſta ſepulchri,
 Caria quod doctâ condidit arte vetus.
Non tamen hac Princeps ullus componitur urnâ,
 Nec procerûm cineres artificioſa tegit.
Hanc fieri impenſam moriens præcepit avarus,
 Quùm ſervare aliter non ſibi poſſet opes.

Navium ſpeculator ſtolidus.

EPIGRAMMA XVI.

H Oſpita quùm puppis noſtris adlabitur oris,
 Solvit & è patrio littore quæque ratis:
Haud mora: feſtino curſu contendit anhelus
 Ponticus, & velox incubat ille mari.
Hinc navi intendens animum ſpeculatur ab alto,
 Annè vehat merces, militis annè capax.
Nùm Gallos, Angloſvè ferat, Batavoſvè requirat;
 Annè vel Oenotriis ſolverit illa plagis.
Sedule qui cunctas ſcrutaris, Pontice, puppes,
 Elige, quâ nequeas huc remeare, ratem.

In eundem Speculatorem.

EPIGRAMMA XVII.

SÆpè aciem in pelagi protendis ſedulus undas ;
Scire volens quaſnam ſuſtinet ille rates.
Forſàn ab Eòo expectas tibi littore gazas ,
Vel quas Auſtralis terra recondit opes ?
Deſine curarum : ſubeant licet undique puppes ,
Nulla tibi mentem navis amica trahet.

In malum Poetam , alienorum carminum raptorem.

EPIGRAMMA XVIII.

QUem modò vulgaſti malè ſanâ mente libellum ;
Carpere qui poſſit , Lentule , nullus erit.
Omnia Theſſalium ſapiunt tua carmina Pindum ,
Splendet & his Latii gloria priſca modis.
Scilicet excribis pretioſa volumina vatum ,
Aurea quos Orbi ſæcla tulere priùs.
Illic ſæpè Maro comparet , ſæpè Tibullus ;
Sæpè etiam Naſo , Sæpè Catullus adeſt.
Ergò nè ſacros Parnaſſi lædat alumnos ,
Carmina nullus erit, qui tua carpat iners.

Mœcenas avarus.

EPIGRAMMA XIX.

TE Mœcenatem noſtrâ vis urbe vocari,
Teque legi docto carmine multus aves,
Jam tibi dimidium præclari nominis hæret,
Scribit dum libros plurima turba tibi.
Quod deeſt dimidium propriis tu viribus adde:
Præmia, fac, veniant vatibus apta tuis.

De decoctore, qui amplum patrimonium brevì abſumpſit.

EPIGRAMMA XX.

QUod patris diuturna manus congeſſerat aurum;
Quæque emit pinguis jugera multa ſoli:
Jam decocta abeunt veſano hæc omnia luxu,
Jamque brevî natus dilapidavit opes.
Sic umbris fert juſta piis, patrique parentat;
Sicque ſacrare aras manibus ille putat.
Has tamen inferias patri ſi noſſe liceret,
Anxius optaret vivere poſſe diù.

De sene lusibus, choreisque frequenter indulgente.

EPIGRAMMA XXI.

BIs jam tricenâ campus tibi servit aristâ;
Jamque tuo roseus decidit ore decor.
Tempora Cycnæo tua sunt asperſa colore,
Membraque languescunt, firmus & antè vigor;
Hæc quùm nota fient properantis signa senectæ,
Spreta jacent, solitos agglomerasque jocos.
Lusibus haud poteris stygias captare sorores;
Occupat heu luctus gaudia sæpè miser.

De verâ libertate.

EPIGRAMMA XXII.

SI tibi libertas cordi est, si mente cupita;
Hôc vigil incedens tramite liber eris.
Liber eris, si docta fori certamina vites,
Sique salutantis spernere munus ames.
Si non albatam turmam comes ipse sequaris,
Ambitus atque tibi sordeat urbe frequens.
Liber eris, pelago navem si credere nolis,
Pectus sique terat nulla lubido tuum.

Si potis es tumidæ ridere palatia gentis;
Sique hilaris patrios incolis ipſe lares:
Si tibi parca ſeges flaventes mittat ariſtas,
Condita ſique fient Maſſica pauca cadis:
His incumbe vigil, tutos hos arripe calles;
Sicque valens parcè vivere, liber eris.

In celeberrimum Pictorem, ſe ipſum ſcite pingentem.

EPIGRAMMA XXIII.

ARtis Apellææ columen qui firmius extas;
Et renovas Graiæ munera priſca manûs:
Siſte: tuam noli pingendo reddere formam;
Sat tua te quævis picta tabella refert.

Votum Apollini pro amici valetudine recuperandâ.

EPIGRAMMA XXIV.

FLave comam, roſeoque genas imbute rubore;
Annue tu precibus, pronus Apollo, meis.

Ægris

Ægris doctus opem, miserisque afferre salutem,
In cassum ire queant, nè mea vota sinas.
Quem modò dira lues languescere cogit amicum,
Febrîs cuique æstus pallida membra coquit:
Olli suppetias propera jam ferre salubres,
Solertique arce proxima fata manu.
Sic tua sacra Claros, Tenedosque, & Delphica tellus
Instaurent donis, & tua templa colant.
Sic Thymbræus ager, Pataræaque serviat Aulæ,
Grinæi & nemoris stet tibi semper honos.

In maledicum.

EPIGRAMMA XXV.

CErnis sæpè meos obliquo lumine versus;
Et quæ scire nequis, stulta, & inepta putas;
Non tamen irarum fluctus sub corde voluto,
Carmina nec rodo dente furente tua.
Eia age: sollicitas expelle è pectore curas:
Non potes hoc tenuis præda sub hoste mori.

De

De novo urbis Aqueductu, amplissimâ impensâ excitato.

EPIGRAMMA XXVI.

Libera quæ patrio quondàm sermone vocabar;
Nunc patiens legis Regia jussa sequor.
Vix aqua nota olim, cursûsque ignara fluebam,
Principis & deerat gratia, honosque loci.
Suppositâ nunc mole feror sublimis ad Urbem,
Regis & aspectu cominùs ipsa fruor.
Sed licet immensos effundam prodiga rivos,
Pellere queis possent oppida mille sitim.
Nil tamen hinc urens mitescet Principis ardor,
Commoda quo populo quærit ubique suo.

In funere doctissimi, piissimique viri Antonii dos Reys, Congr. Orat.

EPIGRAMMA XXVII.

Conditur hac tristi, sprêtâque Antonius urnâ,
Mole aliâ dignus nobiliore tegi.

Integer

Integer hic vitæ, recti quoque cultor & æqui,
Extitit, innocui consiliique tenax.
Scita patrum doctus mores induxit honestos,
Imbuit & populum religione pius.
Non olli magnatum, non favor abfuit Aulæ,
Nec tamen attritas respuit ille vias.
Quùm licuit, celso Parnassi culmine sedit,
Fudit & Aonio carmina grata choro.
Aurea quin etiàm nobis ferè sæcla revexit,
Dulciùs Ausonio scivit & ore loqui.
Nil tamen his flecti stygiæ potuere sorores,
Quin citò truncaret stamina iniqua manus.
Lilia fundantur, violæque, & tristia quæque,
Parcarum feritas queis queat atra tegi.

Amici hortus suburbanus.

EPIGRAMMA XXVIII.

UBerior quàm multa hortus tibi munera fundit!
Quâm quoque dissimili flore nitescit humus!
Candida, rubra, croci, Cyanique induta colores
Serta tibi hinc veniunt, luxuriante solo.
Semina vix aliis committi cernimus arvis,
Quùm tibi jam metitur florea multa seges.
Anglia quidquid alit, quidquid vel Gallia nutrit,
Educat aut Batavus pulcher, & almus ager,
Hæc tuus immodico sumptu complectitur hortus;
Florum sicque ferax area quæque viret.
Non tamen ille tuo poterit jam nomine nosci:
Chloridos incæpit nomen habere Deæ.

De quodam Melancholico.

EPIGRAMMA XXIX.

SÆpè trahis vultus, quùm valvas pulsat amicus;
Obvius aut mediâ fit tibi quisque viâ.
Sæpè fugax hominum renuis commercia quæque,
Displicet & coetus, turba, corona tibi.
Dissita sola placet tellus, vacuusque recessus,
Viculus atque silens, & sine teste locus.
Dum tamen agnosci vitas, refugisque videri;
Invisus fies civibus ipse tuis.

Ignarus Musicæ se Musicæ amatorem jactat.

EPIGRAMMA XXX.

GRata tibi quamvis placeant modulamina vocum,
Et te dulcisonâ videris arte trahi,
Artis Apollineæ scitum te dicere noli,
Docta nec argutæ munera nosse Lyræ.
Sic Methymnæo lætatur Arione Delphin;
Quin dulces stupidus noverit ille modos.
Allicit Amphion sic & testudine cautes,
Ut citò Thessaliæ moenia celsa struat.

Sic

Sic etiàm custos mulcetur cerberus Orci;
    Orphei quin capiat plectra sonora rudis.

Belli execratio.

EPIGRAMMA XXXI.

FErreus ille fuit, Cadmæo & sanguine cretus;
    Qui gentes docuit bella movere prior.
Quin & Caucasiæ dicam nutricis alumnum,
    Cognatum lybicæ Syrtidos atque genus.
Nulla salus terris, quùm profert arma Gradivus:
    Decertant odiis oppida, rura, fretum.
Novimus avulsas priscis è sedibus urbes,
    Diruta & hostili moenia celsa manu.
Novimus abductis squalentia prata colonis,
    Atque, situ torpens, & sine fruge solum.
Novimus æquoreis misceri prælia regnis,
    Neptunique vadis bella cruenta geri.
Nulla quies Orbi, discors dum sævit Enyo:
    Rupta fides populis, Dis quoque rupta fides.
Quæ tibi Roma olim sacravit templa, Gradive,
    Nulla his religio, nec sacer adsit honos.
Sanguine qui gaudes, stragesque & funera misces,
    Quære iterùm Odrisios, indomitosque Getas.
Visere nota tibi, Mavors, cunabula perge:
    Otia sic terris, stabit & alma quies.

Navis fulmine combusta.

EPIGRAMMA XXXII.

CÆrula quæ totiès lustraras æquora puppis;
Audax semotos Orbis inire sinus.
Cui facilis Cynosura vias direxerat undis,
Faverat Australis vel nova stella poli.
Imbribus offecit cui nunquàm sævus Orion,
Pleïadum nocuit nec malè fida cohors.
Littore nunc patrio, navali tutaque claustro
Cœlitùs intorto fulmine tacta peris.
Quæ mare, quæque hostes superaras, quæque procellas;
Haud poteras casu nobiliore rapi.
Fas fuit, ut superis flagrares mersa favillis,
Cui tantùm potis est ira nocere Jovis.

Votum Cereri pro frugum uberta.

EPIGRAMMA XXXIII.

DIva potens frugum mitis Saturnia proles;
Quid nostra eludis pigrior arva Ceres.
Vomere quid prodest terram vertisse recurvo?
Quid jecisse solo semina flava juvat?
Ni segetes placido recrees & jugera vultu,
Nulla situ squalens foenora reddet humus.

Sedula

Sedula fœcundas ſperet, fac, meſſor ariſtas,
Culmus & uberior divite ſurgat agro.
Jam faciam vitulâ, multo quoque farre litabo;
Tempora quò mæſtis frugibus apta fient.

Sordidi fœneratoris domus incendio abſumpta.

EPIGRAMMA XXXIV.

Hîc ubi fulgebat regali condita luxu;
Stabat & immodico ſtructa labore domus:
Nunc triſtis torpeſcit humus, nunc rudera cernes,
Turpiter ejectos ſedibus atque lares.
Quaſſa labat moles, ſuperis data præda favillis,
Tactaque de Cœlo ſplendida tecta ruunt.
Non tamen illa velim cecidiſſe innoxia credas,
Vindice ſed potiùs fulmine ſtrata ſolo.
Fœnore ſtructa domus fuerat, quæſtuque voraci:
Hinc purgare ſacro fas erat igne locum.



Litigator

Litigator infelix.

EPIGRAMMA XXXV.

IMprobus obtundis noſtras tu litibus aures,
Vixque capit vaſtum jurgia tanta forum.
Sæpè vocator ades, præceps & ſæpè petitor,
Indomituſque ſoles dicere cuique diem.
Litibus implicitum te ſemper novimus atris;
Miſcentem & civi prælia mille tuo.
Dum tamen hæc agitas, non te labor unicus urget;
Quod magis eſt, cauſſâ ſæpiùs ipſe cadis.

De eodem litigatore.

EPIGRAMMA XXXVI.

LItis amans iterata foro tu prælia miſces;
Et nunquàm infenſo victor ab hoſte redis.
Cogeris hinc audax impendia ſolvere litis,
Hinc & judicibus ſportula multa venit.
Hactenus ipſe foro ſitiebas, Pontice, gazas;
Nunc te dira fames ſumptibus aucta premet.

Invidus

Invidus.

EPIGRAMMA XXXVII

Cur ſic tabeſcis ſtimulis agitatus iniquis?
Cur tua ſic rodit viſcera livor edax?
Lœtis annè putas aliorum rebus obeſſe,
Sortem aut adverſam vertere poſſe tuam?
Deſine livoris: nil te labor iſte juvabit;
Accidet atque aliis triſtius indè nihil.

Amico navem conſcendenti ſecundum curſum optat.

EPIGRAMMA XXXVIII.

Dî tibi ſedato facilem dent æquore curſum,
Optatiſque meis pondus ineſſe velint.
Temperet inſtabiles fluctus regnator aquarum,
Proles Saturni, Cæruleuſque pater.
Æolus æterno precludat carcere ventos;
Vorticibuſque rapi nec ſinat ille ratem.
Adſint Tyndarides, nautis benè numen amicum,
Avertantque maris, luce nitente, minas.
Numina ſic pelagi votis, precibuſque fatigo,
Ad nos ut remees, puppe vehente, citò,

Tutus

Tutus & ut notas possis invisere sedes;
Suppetiasque ferens tristia corda juves.

Epitaphium cujusdam Cursoris.

EPIGRAMMA XXXIX

C Onditur hoc tumulo, si forsân conditus extat;
Martius, hîcque jacet, si tamen ille jacet.
Doctus inire vias festinis concitus alis,
Ambigo, num præsens hacce quiescat humo.

Amici Hortus.

EPIGRAMMA XL.

QUàm benè respondet cultori pronior hortus;
Floribus exuberans, deliciisque frequens!
Non hîc contristant torpentia frigora terram,
Grandine nec lædit germina segnis hyems.
Horrida longè abeunt nimbosæ sydera brumæ,
Nec gelidas Aquilo spirat ab axe nives.
Undique tranquilli favet indulgentia Cœli,
Nubibus & sparsis prodit amica dies.
Undique veris opes cernis, gemmasque virentes:
Hîc & versicolor fit tibi ruris honos.

Florum

Florum pulchra cohors latè diffundit odorem;
Virgineoque offert roscida serta choro.
Quìd memorem læti, biferique rosaria Pæsti?
Sivè quìd Alcinoi culta vireta loquar?
Prisca fides taceat: pretium dat sæpè vetustas;
Omnibus iste recens gratior hortus erit.

Amicum consolatur de Mœcenatis inertiâ.

EPIGRAMMA. XLI.

QUòd tua Mœcenas non magni carmina pendat;
Mœror, & anxietas te diuturna coquit.
Falleris: hæc valdè Mœcenas grata fatetur;
Displicet at grates fortè referre manu.

Votum Junoni, ut amici nuptiis præsit.

EPIGRAMMA XLII.

PRonuba Juno veni, vinclo connecte jugali;
Tradeque concordi pectora casta toro.

Alite jam dextro geniales inſtrue tædas;
Floribus interſit tempora vinctus hymen.
Nec ſatis eſt ſponſos ſociali fœdere jungas:
Fac, thalamus prolis fiat ut ipſe ferax.
Sic tibi Junonis *Magnæ* ſervabis honores:
Soſpita ſic ſemper, ſic quoque *Mater* eris.

Amicum vates accuſat de litterarum tarditate.

EPIGRAMMA XLIII.

TErtia jam rediit tondendis meſſibus æſtas;
Preſſaque ſub prælo tertia muſta fluunt;
Ullus ab Eoo veniat quin nuntius orbe,
Noſque tuo foveat nomine dicta ſalus.
Fortè peracta putas nobis jam penſa ſororum,
Credis & ad Manes nos abiiſſe pios!
Segnis adhuc Lachesis volvit verſatile lignum,
Æthereo patitur lumine noſque frui.
Sed ſi dextra tibi quartum torpeſcat in annum,
Præſcius heu fati, triſtis & augur eris.

Aſſiduus

Assiduus nobilitatis jactator.

EPIGRAMMA XLIV.

SÆpé tuæ ſtirpis laudes, & texis avorum;
Improbus antiquum commemoraſque genus.
Stemmate te clarum, Regumque ab origine cretum,
Dîs quoque conjunctum ſanguine ſæpè refers.
Non ego præclarâ genitum te ſtirpe negabo;
Nec te tot proavos fingere velle puto.
Unum hoc ambiguam reddit mihi, Pontice, mentem;
Quòd tua tu ſolus ſtemmata commemoras.

Felix & Infelix.

EPIGRAMMA XLV.

DUm fueras felix, aderat tibi nullus amicus,
Quùm ſis infelix, multus amicus adeſt.
Durities tibi corda olim captare vetabat;
Ullus amicitiæ nec tibi nexus erat.
Quòd modò quiſque tuam ſortem miſeratur acerbam;
Noſtra hoc fert probitas, non tua cura facit.

Uvarum munusculum Amico missum.

EPIGRAMMA XLVI.

ACcipe venturi prænuntia signa Lïæi;
Nec tua detrectet munera nostra manus:
Quos aluit vitis turgentes læta racemos,
Dum tibi sint grati, prospera vitis erit.
Sin aliter, densis arescat consita dumis,
Nullam & cultricis sentiat artis opem.
Sic aliæ addiscent meliores reddere fructus,
Nè tibi displiceant, nè sibi damna parent.

Amici liberalitatem commendat.

EPIGRAMMA XLVII.

DExtera quot cives tua passim ditat egenos!
Munera quot spargit largior imbre manus!
Quàm benè multiplices præstas Ægæonis artus!
Dextram hanc centimanus vellet habere gygas;
Donorum manus ista ferax vota occupat auro,
Nec sinit effundi supplice voce preces.
Largior haud culmis educit Eleusis aristas,
Crebriùs aut Æthrâ nubila cogit hyems.

Sic

Sic tibi lenè fluant Pactolus ſemper & Hermus ;
Ut fluit è loculis aurea vena tuis.

Amici humanitatem commendat.

EPIGRAMMA XLVIII.

TE facilem vultu, concinnum ſcimus amicis,
Moribus & mitem, conſpicuumque fide.
Te plebes, te noſter eques, Patrumque ſenatus,
Sacrificûmque ſimul te colit urbe chorus.
Nec tantùm te civis amat; te diligit hoſpes,
Quique Hermi & Gangis glauca fluenta bibit.
Dignior es ſuperi conſidere ſedibus axis,
Alloquio & Divûm cominùs ipſe frui :
Celſa tamen cupimus conſcendas tardus ad aſtra,
Lætitiæ ut poſſis gentibus eſſe diù.

De importuno ſui ipſius laudatore.

EPIGRAMMA XLIX.

QUæ te laudandi cepit tua corda cupido?
Quidvè tuum pectus tam malus ardor agit?
Plenum laudis opus, famâ dignumque perenni
Quidquid agas, cenſes, ſtultus & amplificas.

Impertire tuis noli præconia geſtis :
Nulla fides propriis laudibus eſſe ſolet.

Medicus ſubitaneus.

EPIGRAMMA L.

Tonſor heri fueras, chirurgum te modò jactas :
Nec ſatis, Hipocratem te quoque ſcire ſonas.
Pharmaca ſic papulis adhibes, laterique dolori ;
Si marcet ſtomachus, ſanguinis ultor ades.
Nullus erit varias qui tam citò calleat artes :
Nulla homines rapiet tam citò dira lues.

CARMINUM
LIBER II.

Doctissimo Poeseos Professori, P. Emmanueli de Azevedo, Soc. Jesu, Romæ commoranti, librum suum Auctor mittit.

EPIGRAMMA I.

EDere quem licuit dubiâ nunc sorte libellum,
Hunc tibi mitto lubens: hæc mihi cura prior,
Nostra supercilio miti quòd carmina volvas,
Hanc memori foveo pectore, spemque sequor.
Non ego Cecropiæ vereor Pandionis arces,
Arridet noster dum tibi fortè labor.
Clarus Hyantæo confidis vertice montis,
Das ubi Pierio jura sacrata choro.
Quòd si censuræ multa hîc obnoxia credas,
Dignaque corradi carmina nostra putes:
Hinc tamen excusor: poteram quî fundere versus,
Longiùs amoto qui benè plectra regat?

Venator

Venator senex.

EPIGRAMMA II.

JAm tibi permixtis albescunt tempora canis;
Imminet & certis curva senecta notis:
Et tamen insequeris cursu venator anhelo,
Quasque sinu nutrit sylva vetusta feras.
Desine jam torvos agitare in saltibus apros,
Nec tibi jam nemorum pristinus insit amor.
Sis licet aligeros promptus transfigere cervos;
Promptior heu cursu te Libitina premet.

Libellos suos Auctor amico commendat, precaturque, ut sit illorum defensor.

EPIGRAMMA III.

QUos modò vulgari incertâ mihi sorte libellos;
Hos cupio foveas, hos tueare, precor.
Facta comes sequitur quamvis ingentia livor,
Nec minùs audacter rodere scripta solet.
Quòd si carminibus pestem hanc defendere nostris;
Hæcque velis pravâ reddere tuta lue:

Non

Non opus eſt dextrâ ſtrictus præfulgeat enſis;
Id ſatius nobis, ſi tibi grata ſient.

Natalis dies amici.

EPIGRAMMA IV.

CAndida gemma diem natalîs ſignet amici,
Gaudia qui nobis, deliciaſque tulit.
Læta citis invecta rotis aurora rubeſcat,
Lucifer & citiùs nuntiet axe jubar.
Ocior hinc triſtes abigat ſol aureus umbras,
Feſtinetque pios luce fovere lares.
Infeſtum immutet vultum nimboſus Orion,
Nubila nec denſâ grandine mixta ferat.
Leniùs has ſpirans tranquillet Jupiter oras,
Germinaque & flores aura ſerena juvet.
Sic pia vota diem, quo non felicior alter,
Exoptant reducem, ſollicitantque preces.
Ceſpite tunc viridi ſolemnem ornabimus aram;
Thuraque numinibus dives acerra dabit.

Vates se totum Apollini tradit.

EPIGRAMMA V.

GRata fugax rerum Parnassi culmina quæro;
Otia quò Musis non aliena sequar.
Invida non illic lacero discordia crine
Exagitat mentes, bellaque cæca movet.
Nulla ibi sollicitat cives damnosa cupido;
Ulla nec anxietas pectora casta coquit.
Pieridum officiosa cohors quos novit alumnos,
Excipit illa lubens, auxilioque fovet.
Posthabitâ nunc ergò domo, laribusque relictis
Ad tua confugio, Cynthie, regna celer.
Tu dulces mihi trade modos, tu carminis artem;
Addar ut Aonio dignius ipse choro.

Morum integritas.

EPIGRAMMA VI.

QUinam aliis insint exoptas noscere mores,
Quale sit ingenium, copia qualis opum.
Hæc tibi nil prosunt, pariter nihil ista nocebunt;
Integer ut vitæ vixeris, hocce juvat.

Aliis

Aliis notus, ſibi ignotus.

EPIGRAMMA VII.

O Mnibus ut fias notus mirâ arte laboras;
Quùm tamen ignotus vixeris ipſe tibi.
Diſcute, nùm caſtos habeas, tu Pontice, mores;
Forſitàn agnoſci tunc tibi cura minor.

De Lentulo anteà milite, & poſteà medico.

EPIGRAMMA VIII.

T Hreicii pergrata olim tibi caſtra Gradivi
Deſeris, & notas abnuis ire vias.
Quin & Pæoniæ incumbis modò pacifer arti,
Quæque levant ægros, hæc tibi ſcire placet.
Nil juvat antiquam mutes quòd, lentule, formam:
Mens eadem Protei ſemper & una fuit.
Certius interimes pravo medicamine gentes,
Quàm poſſes ferro ſternere cædis amans.

In dolosum laudatorem.

EPIGRAMMA IX.

SOla quòd evulgem nostris Epigrammata chartis;
Exedit hæc pectus sedula cura tuum.
Apta cothurnatæ censes mea carmina Musæ,
Et posse Andinum condere dicis opus.
Non hoc ingenuo depromptum pectore credo;
Quin commenta dolo, fictaque verba puto.
Condere quæ nunquàm dabitur mihi carmina laudas,
Acriùs ut carpas, quæ cecinisse vides.

Pax ultrajectensis.

EPIGRAMMA X.

HActenùs imperium proferri Marte solebat,
Regnaque Principibus non nisi bella dabant.
Sic Argoa suos auxit gens inclita fines,
Punica sic bellis Arx & adaucta fuit.
Sic etiam æquari Romanum vidimus Orbi
Imperium, stragis, sanguinis atque ferax.
Prisca fides taceat; quæ pax innoxia regnat,
Regibus hæc sedes, tutaque regna dedit.

Fœdere ultrajectensi Hispaniarum Rex Philppius V. Siciliæ insulam Sabaudiæ Duci concessit; aliisque Principibus varia oppida, Castellaque tributa sunt.

Vini

Vini potor acerrimus.

EPIGRAMMA XI.

N Ulla tibi arrident ſitienti pocula lymphæ;
Flumina ſic, fontes deſpicis atque nives.
Cæcuba ſola placent largis extracta lagenis,
Dulcia ſeu pronâ fuſa falerna manu.
Fortè & luſtrali ablutum te diſplicet undâ,
Idque mero potiùs non licuiſſe doles.

Venator ex lapſu exanimatus.

EPIGRAMMA XII.

I Mpiger umbroſos nemorum luſtrare receſſus;
Dexter & inſidiis illaqueare feras:
Quin & pernices fortis transfigere cervos,
Quoſque apros nutrit Mænala Sylva ſinu.
Hîc jacet, abrupto prolapſus culmine montis,
Dùm damam inſequitur neſcius ille viæ.
Non olli auxilium nemorum Latonia cuſtos
Præſtitit, aut lapſo ſedula traxit opem.
Gliſcens fortè Deæ carpſit præcordia livor,
Quòd tot venator fixerat ille feras.

Bellator iniquus.

EPIGRAMMA XIII.

IMprobus armorum cauſſas tibi fingere noli,
Abſtine & infami bella ciere notâ.
Imperium proferre inſit tibi nulla cupido,
Nec cæco placeant oppida capta dolo.
Incaſſum ſuperos votis, precibuſque fatigas,
Impia ſi prædæ commoda ſola cupis.
Dîs fruſtrà addices temerè quos arripis agros:
Thure pio gaudent Numina celſa coli.

Bellator juſtus.

EPIGRAMMA XIV.

SCire cupis liceat quandò decernere ferro;
Quandò & terribili bella ciere notâ.
Diſcute, num patrios vexet turba hoſtica fines;
Sollicitetque tuis ſedibus ipſa frui.
Num tua ſit triſti plebes obnoxia prædæ,
Nec proprios tutus findat arator agros.
Num tibi deferri claſſis vetet extera merces;
Nec ſecura abeat littore cymba tuo.
Hæc tua ſint, Princeps, juſti primordia belli:
Commoda non belli, ſed tibi cauſa favet.

Jactator opum.

EPIGRAMMA XV.

J Actat opes Marcus, gemmarum jactat acervos,
Auri congeriem jactat & ille gravem.
Hæc iterata foro vulgat, triviisque frequenter,
Quin tamen adjungat concio nulla fidem.
Quò te, Marce, rear gemmis, auroque potentem;
Splendidus assiduâ munera sparge manu.
Non Tagus auriferi nomen sortitur & Hermus;
His nisi quòd fluviis aurea dona fluunt.

Puer vix natus emoritur.

EPIGRAMMA XVI.

V Italis puer iste auras vix hauserat insons;
Quùm propero ad Manes cogitur ire gradu.
Tantum audere nefas stygiæ potuere sorores,
Flectere quas nequeunt vota, precesque piæ.
Quæ partus, Lucina, beas, matresque tueris,
Debueras proli consuluisse simul.
Nè labor iste tuus studio vanescat inani,
Vita etiàm pueris fac diuturna fiet.

De

De morte amici.

EPIGRAMMA XVII

Qui recti docilis fuerat, qui cultor honesti,
 Integer & vitæ, justitiæque tenax.
Nondùm ter denis exactis messibus ille
 Claudit supremo concita fata die.
Exequialis honos, funebria sacra parentur,
 Solvanturque piis Manibus inferiæ.
Lilia fundantur grato viduata colore,
 Sparsaque sit violis, tristis & urna croco;
Quæque solet luctus testari mæsta cupressus,
 Aram circumdans plurima surgat humo.
Non tamen hinc facilè venient solatia nobis:
 Exedet æternùm pectora nostra dolor.

De tranquillitate vitæ, quâ vates fungitur.

EPIGRAMMA XVIII.

Hîc ubi prospecto spumantes æquoris undas,
 Nec vereor noceant æstus & ira maris:
Hîc ubi fluctivagus spatiatur flumine saltus,
 Vertitur inque cavas plurima sylva rates:

Hîc ubi more Tagus fulvis ditescit arenis;
Excipit & vectas navibus Orbis opes:
Hîc mihi certa domus, fatorumque ordine sedes;
Gratos hîcque colo, sorte favente, lares.
Non hîc clamor iners plebis mihi verberat aures,
Gesta domî, aut belli nec vaga turba sonat.
Quid faciat lætas segetes, facilemque liæum,
Pallada quidvè juvet, non mihi cura subest.
Juverit hoc alios nautarum inquirere cursus,
Scireque sit patiens æquoris annè ratis.
Non mihi livor edax placidos depascitur artus,
Auri sacra fames nec mihi membra terit.
Nec tamen ignavo torpens languore fatisco:
Pindi sæpè lubens in juga sacra feror.
Splendida sudato caleant altaria thure,
Dîsque frequens, curo, victima ritè cadat.
Sic vitam securus ago, curisque solutus,
Stamina dum lachesi volvere tarda placet.

In amicum mortiferâ tabe laborantem.

EPIGRAMMA XIX.

F Erreus ille riget qui non miseratur amicum:
Livida cui tabes pectora rodit edax.
Illum lacte putes Hyrcanæ tigridis altum;
Rupeque caucasiâ dixeris esse satum.
Ast ego, qui soleo miserescere sortis iniquæ,
Execror, hanc diris devoveoque luem.

Ritè precor ſuperos properantia fata repellant ;
Torquerique diù nè pia membra ſinant.
Pocula, Phœbe, manu tu præbe mixta ſalubri ;
Certiùs ut pronam ſentiat æger opem.

Flores amico mittit hyemali tempore.

EPIGRAMMA XX.

ACcipe fragrantis munuſcula prima laboris,
Nec pigeat facili ſuſtinuiſſe manu.
Has tibi primitias noſtro Zephyritis ab horto
Mittit, terra licet torpeat arcta gelu.
Spirat adhuc Boreas brumalia frigora pratis ;
Rarior hinc florum copia ſurgit humo.
Non tamen hæc vereor contemnes dona ſeverus ;
Caſta placent ſuperis, munera parva licet.

In Marcum ſæpiùs ſeſe morbo affectum conquerentem.

EPIGRAMMA XXI.

SÆpiùs ægrotas, vel Bruma, vel incubet Æſtas ;
Sivè Aries tempus, rectavè Libra regat,

Sæpè tibi miseros febris depascitur artus;
Assiduusque premit languida membra dolor.
Et tamen accitus mensis accumbis opimis,
Instaurasque hilaris, nocte dieque dapes.
Quem jactas morbum, faciles tibi flectit amicos;
Ergò malam noli pellere, Marce, luem.
Quùm fueris morbo immunis, quùm corpore firmus,
Rarior obveniet, parcaque mensa tibi.

Amicum hortatur, ut libros suos edat.

EPIGRAMMA XXII.

EDere quùm possis facili molimine libros,
Nomine victuro clarus & Orbe frui.
Arte laboratas condunt tua scrinia chartas,
Sæpè velut tristes condit avarus opes.
Eximium jam profer opus, crebròque cupitum;
Nec marcere diù scripta diserta velis.
Qui puppem immodico struxit sibi navita sumptu,
Haud torpere sinit, quin maris æquor aret.
Murice qui vestes intextas emit & auro,
Has, citò nè pereant, explicat ille Jovi.
Quique colit nitidis gemmantem floribus hortum,
Huic spectatorum copia multa placet.

De caussidico jam sene.

EPIGRAMMA XXIII.

QUùm decursa tibi fermè sit Nestoris ætas,
Langueat effœto corpore quùmque vigor,
Caussidicum irrequietus agis, glomerasque clientes,
Otii & impatiens incolis ipse forum.
Sis licet eloquii præstans, & litibus aptus,
Vincere quam nequeas lis tibi restat adhuc,
Hanc tibi festinant triplices inferre sorores:
Caussâ hac infelix certiùs ipse cades.

De morte cujusdam Astronomi.

EPIGRAMMA XXIV.

HActenùs astriferæ sectandis motibus arcis
Omne lubens studium ponere visus eras.
Hinc tibi cura inerat gelidos spectare Triones,
Tardus ubi Arctophylax frigida plaustra regit.
Hinc etiam Andromeden, cepheumque & Persea nosti,
Cætera & Arctoo sydera sparsa polo.
Illinc Australes placuit perquirere sedes,
Astra quidèm nautis non benè nota priùs.
Hactenùs exterior facies tibi cognita cœli;
Nec licuit superæ limen adire domûs.

Splen-

Splendida panduntur tibi nunc penetralia Divûm;
Plus tibi quâm vitâ, cernere morte datur.

Junonis imago perfectè coloribus expressa.

EPIGRAMMA XXV.

Hîc Juno, hîc scitè spirat Saturnia proles:
Non alibi tantus splendet in ore decor.
Æmula Parrhasii tabula hæc & Zeuxidis extat;
Quin & Apellæum nobilis æquat opus.
Si tam pulchra foret Juno, cùm nupta Tonanti;
Nulla unquàm pellex ureret igne Jovem.

Medicus aliorum Medicorum consortium respuens.

EPIGRAMMA XXVI.

Quæ vesana tuum cepit dementia pectus,
Qui dubiam exoptas solus inire viam?
Qui socios spernens infestum tendis in agmen,
Pellere quique hostes unus ab urbe cupis?

Desine

Desine ſtultitiæ , ſocios adhibeque libenter
Quùm premit ægrotum languor, & atra lues.
Pondus erit levius , fiet minùs improba moles ,
Auxilium preſtet ſi tibi amica manus.

Summa avaritia.

EPIGRAMMA XXVII.

V Idimus è ſilice excuſſum nec ſegniter ignem ,
Vidimus & cautes ſplendida dona dare.
Attamen his duci renuis, miſeroſque repellis ,
Divite quùm poſſis munera ferre manu.
Poſſumus inverſas naturæ hinc dicere leges ,
Quùm rigeant hominis pectore ſaxa minus.

Amici natalis dies.

EPIGRAMMA XXVIII.

F Auſta dies noſtris properans affulgeat oris ;
Inſtauret plauſus quæ rediviva pios.
Hanc revocare diem Natalis cogit amici,
Quâ non candidior lux nitet ulla mihi.
Ferte Deæ flores, innexus tempora ſertis
Fundat feſtivos quilibet ore ſonos.

Ipſe

Ipſe potens voti cumulabo altaria donis;
Atque ſacros faciam thure calere focos.
Nectare Dîs etiam lenæo, & farre litabo;
Nec deerit templis, qui referatur, honos.

Miles poſteà Poeta.

EPIGRAMMA XXIX.

HActenùs armorum præſtans, bellique peritus
Effera Mavortis caſtra ſequutus eras.
Hæc tibi cura olim rubro decernere ferro,
Sævaque ſanguineà prælia inire manu.
Innocuæ nunc pacis amans, placidæque quietis;
Pieridum turmæ jungeris ipſe comes.
Qui deerat geſtis plauſus modò certior extat;
Carmina digna canet carmine digna gerens.

Pater ſibi diſſimilem natum conqueritur.

EPIGRAMMA XXX.

QUòd non hîc tenero referat puer ore parentem
Anxius exagitat corda paterna dolor.

Nè

Nè tibi consimilem exoptes, pater improbe natum;
Improbus heu, similis si tibi, natus erit.

Auctor se excusat de ingenuo scribendi more.

EPIGRAMMA XXXI.

QUòd Mœcenati scribamus carmina nulli,
Nec pateant chartis nomina clara meis,
Non hæc elatæ credas vestigia mentis;
Non ego turgescens colla superba gero.
Sedulus antiquos extollo carmine mores,
Byssina quin fallax, fictaque verba loquar.
Juverit hoc alios, mendaces condere chartas,
Turpibus & laudes texere criminibus.

Medicus garrulus.

EPIGRAMMA. XXXII.

QUùm pressus languore jacet sine viribus æger,
Febris & ægroti tristia membra coquit.
Pæoniæ jactator opis miracula narras,
Tempus & immodicâ garrulitate teris;

Hæc

Hæc tibi cura insit medicamine solvere morbos;
Non venit ægrotis voce coacta salus.

De quodam Auctore raram librorum suorum venditionem deplorante.

EPIGRAMMA XXXIII.

Ferrea quìd quereris, morosaque sæcula damnas;
Quòd libros vexat sors inimica tuos!
Nullus erit magni qui non tua carmina pendat;
Et quæ das metricis verba coacta modis.
Emptor avaritie, pravo non felle laborat:
Si pretium minuas, plurimus emptor erit.

Veris tempestas.

EPIGRAMMA XXXIV.

Jam nova progenies florum collucet in hortis;
Prataque luxuriant fœtibus aucta novis.
Cæspite jam læto proles Hyacinthina fulget,
Vernaque puniceas educat aura rosas.

Jam violis splendescit humus, niveisque ligustris,
Candida jamque frequens lilia fundit ager,
Vomere jam curvo terram proscindit arator,
Gnarus Eleusinam sollicitare Deam.
Laxant arva sinus, vestitur frondibus arbor,
Exerit & tellus prodiga veris opes.
Jam cephalus vigili saltus indagine cingit,
Atque Erymanthæo retia tendit apro.
Quin etiam æripedem stridenti cuspide cervum
Sternit, agens av dos per juga celsa canes.
Navita spirantes captat clementius auras,
Pergit & æquoreos sollicitare sinus.
Jam solitis volucres mulcent concentibus aures;
Gramine & enato ludit ubique pecus.
Oreadum jam læta cohors, Dryadesque puellæ
Instaurant hilares, sole cadente, choros.
Gaudia sic Orbi parit indulgentia veris;
Redditur & terris sic redivivus honos.

De Rhetore repentinâ morte extincto.

EPIGRAMMA XXXV.

QUi fandi doctus, præstat qui divite linguâ,
Romaque cui similem, Graiaque terra cupit,
Fertur hic ad Manes inopinâ morte peremptus,
Et quin extremos proferat ore sonos.
Sic placitum superis truncant sic stamina Parcæ,
Nè putet eloquio flectere fata suo.

In

In Poetam subitaneum.

EPIGRAMMA XXXVI.

Nondùm bis decimus consul tibi notus in urbe,
Nondùm consimili falce resecta seges:
Jamque putas bifidi evasisse ad culmina montis,
Grataque Mæoniis nectere verba modis?
Falleris: inflexo sulcos qui findit aratro,
Non olli exuberant frugibus arva statim.
Quin & præpropero veniant si tempore fructus,
Arboris hi potiùs tristis abortus erunt.

Uxor marito sepulchrum magnificè construens.

EPIGRAMMA XXXVII.

Marmoreo hoc tumulo cineres tegit Aula mariti,
Prodiga fertque piis Manibus inferias.
Non socialis amor, pietasvè hanc extruit urnam;
Prodere sic fatum conjugis uxor amat.

Vates Mœcenatem stultè incusans.

EPIGRAMMA XXXVIII.

QUòd tibi Mœcenas dexter non ampliùs adsit;
Tristaris, sortem conquererisque tuam.
Istius ingenium nequiter tu carpere noli:
Præmia quòd desint, hoc tua musa facit.

De Medico ægros suos semper febrire asserente.

EPIGRAMMA XXXIX.

ÆStubus exuri febrilibus asseris omnes,
Lenitèr attrectat quos tua docta manus.
Nil mirum ægrotos si febris torqueat artus,
Fortiùs & venæ, te veniente, micent.
Horrida cùm facies tibi sit, celer advenit horror;
Hincque irâ excitus concoquit exta calor.

Epitaphium Excellentissimi Domini D. Nonii Alvares Pereira de Mello, Ducis do Cadaval.

EPIGRAMMA XL.

C*Hara Deum soboles*, genus alto è sanguine Regum,
Mole sepulchrali Nonius hacce jacet.
Munera quæque domi, bellique amplissima gessit,
Plenus consilii, fortis ubique manu.
Olli fatidicæ ruperunt stamina Parcæ;
Has tamen insontes criminis esse puto.
Cælestes animos cælesti sede locari
Fas erat; hospitio terra nec ulla satis.

Statua Jovis Marmorea.

EPIGRAMMA XLI.

QUàm scitè excudis spirantia marmora Cœlo,
Ut vultum effingas, effigiemque Jovis.
Non hos Phidiacus tantùm labor exprimit artus;
Pulchrior his virtus, splendor & artis inest.
Religio ni sacra vetet, ni sacra potestas,
Non opus artificis, sed rear esse Deum.

In

In malum Poetam Auctoris libellum damnantem.

EPIGRAMMA XLII.

SÆpè meos carpis liventi dente libellos,
 Pacis amans carpam quin tamen ipſe tuos.
At quæ Calliope invitâ tu carmina pangis,
 Cultor Apollineus temnere cuncta ſolet.
Undique ſpreta jacent; manibus non illa teruntur;
 Quùm mea perpetuus volvere lector amet.
Unus eris noſtros audax corrodere libros:
 Corrodent tineæ, multaque blatta tuos.

In Detrectatorem.

EPIGRAMMA XLIII.

DEtrectare ſoles homines, & fundere probra;
 Oreque Gorgoneo toxica mille vomis.
Nulla tuum cohibet recti verecundia pectus;
 Sontis, & inſontis ſors eademque tibi.
Proſequere, & cunctos probris inceſſere perge:
 Si minùs incipias lædere, peius erit.

De Medico postèa Jurisconsulto.

EPIGRAMMA XLIV.

Qui fuerat Medicus, sequitur nunc castra Lycurgi;
 Digesti studio, Codicis atque vacat.
Crimine delatus, quòd sæpè occiderit ægros,
 Juris opem implorat, quo malè facta tegat.

Ineptus Librorum cognitor.

EPIGRAMMA XLV.

Aurea, quos olim scriptores protulit ætas,
 Ferrea quosque recens, feraque sæcla ferunt;
Esse tibi notos narras, jactator inepte;
 Auctorumque memor nomina multa refers.
Hinc tibi nulla unquàm venient præconia laudum;
 Nec tibi grande sophos concio docta dabit.
Hactenùs ignotæ radis tu littora terræ,
 Intùs quidque insit, non tibi nosse datum.

Pictura.

EPIGRAMMA XLVI.

ARtis Apellææ veniat quid nomine quæris?
Ars eſt, quæ ſenſus fallere docta ſolet.
Inſidioſa oculis naturam effingere tentat;
Quòque magis ſimilis, plus habet illa doli.

Ruris amator.

EPIGRAMMA XLVII.

RUris amans hominum faſtidis undique cætus;
Diſplicet & populi denſa corona tibi.
Non hinc te ſophiæ verum credemus alumnum:
Eſt & ruris amans bellua quæque ferox.

Poeta furax.

EPIGRAMMA XLVIII.

V Ivitur ex rapto, vatum nec carmina tuta;
Quæ cecinit Naſo, nunc tua muſa canit.
Quod rapis ipſe aurum, cœno confundis incepto;
Diſpar materies nulla coire poteſt.

Peſſimus Cauſſidicus.

EPIGRAMMA XLIX.

M Arcus agit cauſſas, turbâ comitante frequenti;
His tamen infelix ſæpiùs ille cadit.
Non hæc patroni culpa eſt, ſed culpa clientum,
Qui Marco fidunt commoda, reſque ſuas.

Inops, & Avarus.

EPIGRAMMA L.

PAulùm diſtat inops, nummorum ac nudus avaro:
Abſimili quamvìs pergit uterque viâ.
Ambo pauperie, triſti caſuque laborant:
Sors illum infelix, hunc premit æris amor.

CARMINUM
LIBER III.

Ira, & Amentia.

EPIGRAMMA I.

DIstat ab irato demens, ſed tempore tantùm:
Inſanus fieres, ni foret ira brevis.

Canities.

EPIGRAMMA II.

CAnitiem celare ſtudes cur arte ſenilem?
Quod tegitur maius creditur eſſe malum.

Fortuna, & Prudentia.

EPIGRAMMA III.

MUlta tibi adversis opus est sapientia rebus;
Si sors obveniat prospera, nulla satis.

Quid sit juventus.

EPIGRAMMA IV.

QUid sit, scire cupis, rerum studiose, juventus?
Ætatis febrim certiùs esse reor,

Virtus non semper pretio habita.

EPIGRAMMA V.

FRuctibus ut prodest tempestas gratior anni;
Sic & virtuti tempora certa favent.

Quomodò agendum cum amicis.

EPIGRAMMA VI

O Mnia nè dubites tua credere fidus amico :
Sola tamen facito credere quæ deceat

Ex amico inimicus irreconciliabilis ;

EPIGRAMMA VII.

N Exus amicitiæ si quandò rumpitur arctæ ;
Hæc poterit nunquàm plaga coire satis.

Præmiis augescit virtus.

EPIGRAMMA. VIII.

P Ræmia si demas, virtutem tollere crede :
Areicit virtus, spes nisi blanda juvet.

In malorum imprecatores.

EPIGRAMMA IX.

Fruſtrà aliis irâ flagrans infauſta precaris :
Non vota exaudit Numen iniqua pium.

Contra Novatores.

EPIGRAMMA X.

Scita Patrum tu nota ſequens tutiſſimus ibis :
Devia ſi luſtres, te malus error aget.

De Bibliothecis.

EPIGRAMMA XI.

Copia librorum nihil eſt niſi docta ſupellex :
Illa animum exornat, ditat ut iſta domum.

De

De reorum tormentis.

EPIGRAMMA XII.

ABstineas, quæso, tormentis: sola patescit
His animi virtus; crimina tecta manent.

Vita otiosa brevior.

EPIGRAMMA XIII.

SI plures numerare cupis feliciter annos,
Hæc tua sit nullam perdere cura diem.

Deformitas corporis.

EPIGRAMMA XIV.

QUem fœdis natura notis signaverit altrix,
Hunc fugito, huic penitùs fidere, Marce, cave.

Degener

Degener maiorum jactator.

EPIGRAMMA XV.

G Esta atavûm, proavûmque refers dum clara tuorum;
Evulgent alii ne tua gesta, time.

Responsio mollis frangit iram.

EPIGRAMMA XVI.

F Rigida curantur calidis, humentia siccis:
Lenia sic iram verba levare solent.

Propriâ trahimur voluptate.

EPIGRAMMA XVII.

A Ttrahit ut ferrum magnes, sua quemque voluptas
Sic trahit, occultum quin tibi constet iter.

Judicis

Judicis officium.

EPIGRAMMA XVIII.

N è quid inauditâ decernas parte, caveto:
Æqua licet ſtatuas, non tamen æquus eris.

Invidus.

EPIGRAMMA XIX.

R Umperis invidiâ, veniunt ſi proſpera nobis;
Non tamen hinc veniunt proſpera cuncta minùs,

In Rhetorem.

EPIGRAMMA XX.

A Rs tibi ſola placet dicendi, Rhetor inepte;
Nullius eſt pretii, ſi ſemel ergò taces,

Homo aſcitis dentibus, hebeti oculorum acie, & calvus.

EPIGRAMMA XXI.

ET dentes, ſimulaſque oculos, ſimulaſque capillos:
Pace tuâ dicam, non niſi fictus homo es.

Qualis uxor habenda.

EPIGRAMMA XXII.

PEſſima ſi mulier res eſt, brevis uxor habenda:
Crede, tuum brevius ſic erit indè malum.

De Curis.

EPIGRAMMA XXIII.

NUlli cura loco cedit gravis: angit ubique:
Te fugiente fugit, te redeunte redit.

De

De Magistratuum incuriâ.

EPIGRAMMA XXIV.

Crimina quùm possis, turpesque avertere mores;
Si peccare sinas, improbus ipse jubes.

Quis miser, & fortunatus.

EPIGRAMMA XXV.

Te miserum dices aliorum prospera cernens,
Et fortunatum damna aliena videns.

Minæ cur non noceant.

EPIGRAMMA XXVI.

Qui gerit ore minas, is nunquàm fulmina torquet;
Vindictæ extingunt aspera verba sitim.

De eodem.

EPIGRAMMA XXVII.

P Arce minis, ultor cupias si sumere pœnas:
Quæ tegitur verbis, hæc magis ira nocet.

Amor initio fugiendus.

EPIGRAMMA XXIII.

D Um tener est, sævum citiùs vitabis amorem,
Expelli nullâ firmior arte potest.

De eodem.

EPIGRAMMA XXIX

N E' pudeat vitare malum, quod vincere nescis,
Ostia si claudas, serpere cessat amor.

Helluo

Helluo stolidus.

EPIGRAMMA XXX.

Ingluviem sectaris hians, & fercula mensis:
Nil mirum, ingenium si tibi pingue venit.

Pessima liberorum educatio.

EPIGRAMMA XXXI.

Artibus ingenuis prolem non instruis unquàm:
Vis natos patri forsitàn esse pares.

Fides dolosa.

EPIGRAMMA XXXII.

Ne' sancita dolo veniant tibi foedera, Princeps:
Astu parta fides fraude perire solet.

Cæcus, & deformis.

EPIGRAMMA XXXIII.

L Umine quòd caſſus ſis, te dolor improbus urget:
Te ipſum ſi poſſis cernere, peius erit.

De periculis.

EPIGRAMMA XXXIV.

I Mpendent dum fata, ſagax averte periclum:
Si veniant, audax quæque pericla ſubi.

Omnis ætas propria ad diſcendum.

EPIGRAMMA XXXV.

Q Uòd puer, aut ſenior diſcas, nil credite refert:
Quòd nunquàm diſcas, hoc ego turpe puto.

Variolarum cicatricibus inustus.

EPIGRAMMA XXXVI.

MIlle cicatrices turpant tibi, Pontice, frontem:
Moribus at longè es turpior ipſe tuis.

Otii amator.

EPIGRAMMA XXXVII.

OTia dum quæris, verum aſpernaris honorem:
Gloria ſola viris parta labore venit.

De pumilione improbo.

EPIGRAMMA XXXVIII.

ES brevis, exiguus, cubitoque haud altior uno;
At minor eſt pietas, integritasque tibi.

De

De eodem.

EPIGRAMMA XXXIX.

EXiguos natura dedit tibi corporis artus;
Parque dedit parvis artubus ingenium.

Criminis horror.

EPIGRAMMA XL.

SÆpè anceps animos inceſſit criminis horror:
Maior at inceſſit teſtium ab ore timor.

Peccandi conſuetudo.

EPIGRAMMA XLI.

SI tibi nullus ineſt conſueti criminis uſus,
Hoc fit, quòd vecorſin ſcelus omne ruis.

De

De vitiis, & morbis.

EPIGRAMMA XLII.

IDem animus vitiis patitur, quod vulnere corpus;
Sæpè cicatrices, fœdaque signa manent.

Vera sobrietas.

EPIGRAMMA XLIII.

SObrius ille est, permissas qui respuit escas:
Si parcat vetitis, dixeris esse metum.

Ingenium felix.

EPIGRAMMA XLIV.

INgenium natura dabit, mentemque capacem:
Hæc tamen ut prosint, sors tibi sola dabit.

Preces aliquandò noxiæ.

EPIGRAMMA XLV.

SÆpè Deos precibus nobis adverſa rogamus;
Poſteà & optatis nos caruiſſe juvat.

Heroum differentiæ.

EPIGRAMMA XLVI.

HEroum non una datur, nec certa propago:
Fit virtute heros, fit quoque criminibus.

Vitiorum fuga.

EPIGRAMMA XLVII.

Quùm vitia à nobis tandèm conſueta recedunt;
Non depulſa animo, ſed minùs apta reor.

Amor,

Amor, & Beneficia.

EPIGRAMMA XLVIII.

RArus amor terris, quem non benefacta tuentur:
Si deerint, rarò permanet alma fides.

Commoda expellunt amicitiam.

EPIGRAMMA XLIX.

RArus amicitiæ locus eſt, nec tutus ab hoſte:
Hanc ſede expellunt commoda ſæpè ſuâ.

Pravæ cupidines.

EPIGRAMMA L.

VIncere difficile eſt, veniat ſi prava cupido:
At labor hanc maior, ſi ſatiare velis.

Crimina aliis objiciens.

EPIGRAMMA LI.

SI quâ labe vaces, aliis mox objicis illam :
Si tibi crimen ineſt, objicis ipſe nihil.

Virtutibus carentes.

EPIGRAMMA LII.

CUi deerit virtus, par fiet ſenſibus orbo :
Sat benè non norunt, quidquid utrique deeſt.

Falſa moderatio.

EPIGRAMMA LIII.

TEmperat hic vitiis, veluti qui temperat eſcis :
Non virtutis amor, ſed timor intùs adeſt.

Innocens quis sit.

EPIGRAMMA LIV.

C Rimina quòd lateant, nòn hinc quis dicitur insons:
Hæret noxa animo, sit cooperta licet.

Fœmina, & Thesaurus.

EPIGRAMMA LV.

F Oemina thesauro par est plerumque latenti;
Dum scrutator abest, omnia tuta manent.

Firma valetudo, & honor.

EPIGRAMMA LVI.

F Irma valetudo rectè assimilatur honori:
Ambo abeunt, recti si tibi norma deest.

Pigri corpore, animo pigri.

EPIGRAMMA LVII.

MArcefcit corpus, fi non labor excitat artus:
Sic acies mentis functa quiete perit.

Cujufvis ingenium.

EPIGRAMMA LVIII.

QUale fit ingenium, nil refert cuique tributum:
Si rectè utaris, dixeris effe probum.

Hypocrita.

EPIGRAMMA LIX.

ESt fimilis fpeculo fucatus hypocrita: vultus
Ambo hominum pandunt, cordaque prava tegunt.

Litigator.

Litigator.

EPIGRAMMA LX.

C Ur tam multa foro lis fit, tamque ardua, quæris?
Pars quià fraudis amans utraque iniqua petit.

Sui Laudator.

EPIGRAMMA LXI.

S Tultus eris, si cuncta tibi tua facta probentur;
Omnia si damnes, te timor urget iners.

Virtus vera.

EPIGRAMMA LXII.

S I tibi vera placet virtus, si gloria maior:
Quæque palàm reliqui, tu sine teste gere.

Cui studio incunbendum.

EPIGRAMMA LXIII.

PLus tibi curà homines insit, quàm noscere libros;
Si sapiens fieri, providus atque velis.

Esse homines plantis similes.

EPIGRAMMA LXIV.

SUnt homines plantis similes, ni fallor; utrisque
Pœnè sua est virtus, abdita sæpè licet.

Homo vitiosus.

EPIGRAMMA LXV.

OMnibus incerta est vitiorum meta, modusque;
Non secùs ac vitæ meta suprema latet.

Qualiter amicis utendum.

EPIGRAMMA LXVI.

SI ſapis, utaris parcè, nec ſemper amico:
Uſus amicitiam nè terat ille frequens.

Odioſus.

EPIGRAMMA LXVII.

NOvimus inviſos homines, nobiſque moleſtos;
Inviſos aliis nos tamen eſſe latet.

Vera ſapientia.

EPIGRAMMA LXVIII.

QUi prodeſt aliis, ſapientem dicere noli:
Quem prodeſſe ſibi videris, ille ſapit.

Recentes poetas contemnens.

EPIGRAMMA LXIX.

LAudum digna putas priſcorum carmina tantùm ;
Judice te, plauſu ſic tua muſa caret.

Peccandi conſuetudo.

EPIGRAMMA LXX.

NE' facilè à vitiis homines emergere credas :
Priſcam ſæpè ſolet pellere noxa recens.

Adultera.

EPIGRAMMA LXXI.

UNi nupta viro plures habet Anna maritos ;
Non fraus hoc præſtat, ſed ſocialis amor.

De eâdem.

EPIGRAMMA LXXII.

A Mpliat Anna tori socialia fœdera casti;
Cedere jusque viri non putat esse nefas.

Ultio.

EPIGRAMMA LXXIII.

C Ura tibi ultrices nunquàm insit sumere pœnas:
Famosas vulgat, non tegit ira notas.

Fortuna.

EPIGRAMMA LXXIV.

F Ortunam incusant inopes, miserique frequenter.
Non tamen insimulant quandiù amica fuit.

De librorum titulos recitantibus.

EPIGRAMMA LXXV.

LIbrorum recitans titulos nihil utile præſtas :
Arboris haud cortex, poma ſed ipſa placent

Idem.

EPIGRAMMA LXXVI.

NUllius es pretii ſcriptorum nomina narrans ;
Quæ latitant libris, hæc recitare juvat.

Belli non cauſſa, ſed exitus.

EPIGRAMMA LXXVII.

BEllorum cauſſas nè fruſtrà inquirere pergas :
Falleris his fidens : exitus acta probat.

Timor,

Timor, & spes.

EPIGRAMMA LXXVIII.

A Nxius ille timor, longèque miserrimus extat;
Si quæ animum foveat, spes tibi nulla viget.

Spe cadentium mala.

EPIGRAMMA LXXIX.

O Mnia desperans duplici cruciabere damno:
Te mala visa prement, teque futura simul.

Amicus absens.

EPIGRAMMA LXXX.

S I menti assiduus, licet absens, insit amicus:
Non disjunctus erit, proximus imò tibi.

Veræ

Veræ divitiæ.

EPIGRAMMA LXXXI.

NUnquàm pauper eris, maneat si fidus amicus:
Dives amicitiæ fit quoque dives opum.

Arma, & blanditiæ.

EPIGRAMMA LXXXII.

ARmis blanditiæ assimilari posse videntur;
Istæ bellum animis, urbibus illa parant.

Mulier blæsa, & stulta.

EPIGRAMMA LXXXIII.

TE blæsam, stultamque simul natura creavit;
Si non blæsa fores, tristior error erat.

Homo disertus, sed blæsus.

EPIGRAMMA LXXXIV.

Quantumvis blæsus, sapiens vir es, atque disertus;
Nil recita: laudis sat tibi scripta dabunt.

Dives, & inops.

EPIGRAMMA LXXXV.

Qùm fueris locuplex, inopem te copia fecit:
Queis tutò utaris, noscere nescis opes.

Labor à pueritiâ.

EPIGRAMMA LXXXVI.

Dum tenera est ætas, paulatim assuesce labori:
Sic senior spernes ardua quæque pati.

Deus ſemper colendus.

EPIGRAMMA LXXXVII.

Quærere, quem toto ſprevisti tempore vitæ;
Obvius haud fiet, te moriente, Deus.

Calvus.

EPIGRAMMA LXXXVIII.

Calve, tuo cuncti fugiunt è vertice crines:
Peſſimum ineſſe tibi quis neget ergò caput.

Nemo ſuâ ſorte contentus.

EPIGRAMMA LXXXIX.

Cuique ſuum placet ingenium, placet atque venuſtas;
Sors ſua cui placeat, credite, nullus erit.

Faciei nimia rubedo.

EPIGRAMMA LXXXX.

Tota rubet facies tibi ſemper, totaque cervix ;
Eſt tamen ingenuus nullus in ore pudor.

Importunus ſalutator.

EPIGRAMMA LXXXXI.

Manè ſalutator cunctis ſis obvius urbe :
Es levis, & vanus, comis & eſſe putas.

Invidus.

EPIGRAMMA LXXXXII.

Paſceris invidiâ, nequeas ſi vivere rapto :
Nil fermè hæc diſtant invidus, atque latro.

Equina Pontici natura.

EPIGRAMMA LXXXXIII.

S Tare loco nescis, terram quatis, & tremis artus :
Natura est, credo, Pontice, equina tibi.

Moles ignea, mirâ arte elaborata, in ortu cujusdam Principis.

EPIGRAMMA LXXXXIV.

F Lamma hæc Æthereas velox quæ tendit in auras,
Principis obsequio corda calere notat.

Idem.

EPIGRAMMA LXXXXV.

N On satis est tellus, quòd plaudat Principis ortum :
Plaudit & innocuis ignibus Æthra micans.

Idem.

EPIGRAMMA LXXXXVI.

IGnea quæ Cœlo ſurgit contermina moles ;
Lætitiæ hæc teſtes gaudet habere Deos.

Mulieris inconſtantia.

EPIGRAMMA LXXXXVII.

MObilis eſt animus tibi, mobilis atque voluntas :
ſic neč prava diù, nec bona ſemper eris.

Statua pedibus aurum calcans.

EPIGRAMMA LXXXXVIII.

DIvitias pedibus calcans extollor in altum;
Promptiùs hinc potero tendere ad aſtra viam.

Lector morosus, ac fastidiosus.

EPIGRAMMA LXXXXIX.

V Ilia quæque putas, quæ tu non feceris ipse:
Quod nihil ipse facis, vilius hocce puto.

Fortuna meritorum auctrix.

EPIGRAMMA C.

P Ulchrior ut nitido comparet fœmina cultu;
Sic fors gesta virûm splendidiora facit.

Virtus colenda.

EPIGRAMMA CI.

S I non utaris, teritur rubigine ferrum:
Sic teritur virtus, ni proba facta geras.

Auri-

Aurifodina.

EPIGRAMMA CII.

V Isceribus cur terra, rogas, abſconderit aurum,
Nè fieret ſacræ tam citò præda famis.

Avaritia.

EPIGRAMMA CIII.

C Ogit avarus opes, nullis quas uſibus aptet;
Non ſecùs infernas cogit abyſſus aquas.

Dolor in morte amici.

EPIGRAMMA CIV.

Q Uùm credis deflere vicem morientis amici,
Jacturam defles veriùs ipſe tuam.

Plorans amicorum coronâ cinctus.

EPIGRAMMA CV.

C Inctus amicorum turbâ tu desine fletûs;
Acriùs ille dolet, qui sine teste dolet.

Amicitia ambitiosa.

EPIGRAMMA CVI.

D Esine amicorum densam jactare catervam;
Munera si demas, omnis amicus abest.

Heroum examen.

EPIGRAMMA CVII.

P Icturis similes heroas sæpè videbis:
Cuique suum vitium est, si benè discutias.

De rebus in morem inductis.

EPIGRAMMA CVIII.

Ut res in mores inductas ſæpè videmus;
Sic etiam inductos novimus eſſe homines.

Ingenio facilè obtemperans.

EPIGRAMMA CIX.

Ambitio cui cæca placet, nimis ardua quærit;
Et velut ægrotus noxia ſæpè cupit.

Clementia quid ſit.

EPIGRAMMA CX.

Scire cupis forsàn, quid ſit clementia, lector?
Laudis amor ſæpè eſt, ſæpè timoris opus.
Eſt & ſegnities, pacis vel prona lubido;
Caſibus his virtus ſæpiùs iſta ſubeſt.

Calumnia

Calumnia.

EPIGRAMMA CXI

Mille modis ſerpit ſpinoſa calumnia terris;
Invidiæque locus multus ubique patet.
Crimina ſi vites, recti ſimulator haberis:
Diceris & nequam, ſi tibi noxa levis.

Cor hominis cognitu difficile.

EPIGRAMMA CXII.

Sunt, qui ſydereos obitus ſcrutantur & ortus;
Quoſque regit curſus candida luna ſuos:
Non tamen abſtruſos hominum cognoſcere ſenſus,
Cordis nec latebras ullus adire poteſt.

De

De ebria, se librorum helluonem esse jactante.

EPIGRAMMA CXIII.

Helluo librorum cenceri percupit Aulus;
Qui vix ad calcem paucula scripta legit.
Librorum potor meliori jure vocandus,
Qui libris Bacho sæpè litare solet.

Caussidicus.

EPIGRAMMA CXIV.

Munere caussidici nihil est securius Orbe;
Sivè cadit caussâ, vincere sivè datur.
Alea quin instet fallax, dubiumque periclum
Undique caussidico sportula multa venit.

Furti reſtitutio.

EPIGRAMMA CXV.

QUæ rapuit populo Marcus, vult reddere templis,
Poſſeque deleri ſic putat ille ſcelus.
Fallitur at raptis cumulans altaria donis;
Dona Deo nunquàm crimine parta placent.

Uxor impudica.

EPIGRAMMA CXVI.

ALmæ pacis amans deformem ducere mavult
Ponticus uxorem; nil tamen hocce juvat.
Nullus erit turpis circumdans limina nuptæ,
Attamen illa alibi quæret habere procos.

Pictor, & fur.

EPIGRAMMA CXVII.

C Onſimilem furi pictorem cenſeo quemque;
Scilicet ex rapto vivit uterque ſuo.
Ille aurum, effigies hominum rapit iſte tabellis;
Eſſe tamen diſpar ſors utriuſque ſolet.

Fortuna inconſtans.

EPIGRAMMA CXVIII.

S Tare loco neſcit, miſcetque adverſa ſecundis;
Semper & immutat ſors fugitiva vices.
Hinc fortunati mutant pravo ordine mores;
Hinc qui comis erat, ſorte favente tumet.

Nil desperandum.

EPIGRAMMA CXIX.

FAlleris adversis desperans omnia rebus:
Nunquàm sors stabili sistere visa gradu.
Commutat levis illa vices, successibus anceps;
Quæque modò infausta est, fausta redire solet.

Properata beneficiorum remuneratio.

EPIGRAMMA CXX.

QUi benefacta cupit properatâ reddere curâ;
Ingratum hunc potiùs dicere jure potes.
Hic doni detrectat onus gestare recepti;
Hunc pudet officii, muneris atque tui.

Laurus de Cœlo tacta.

EPIGRAMMA CXXI.

LAurus Apollinei merces, fructusque laboris
   Fulmine de Cœlo tacta repentè fuit.
Non tamen immeritâ credas periisse ruinâ;
   Hanc Jovis, & Phœbi sustulit ira flagrans;
Nempè caput lauro temerè tot cingere vates
   Displicuit Phœbo, displicuitque Jovi.

Exterarum rerum laudator.

EPIGRAMMA CXXII.

QUi mare, qui terras, alienaque littora laudas;
   Qui mores alios, deliciasque sonas.
Nunc tamen ad patrios gestis remeasse Penates,
   Antiquosque redux incolis ipse lares.
Ergò vel insanus nobis mendacia narras;
   Omine vel lævo regna beata fugis.

Surdus, & loquax.

EPIGRAMMA CXXIII.

DUra tibi auditum prorſus natura negavit;
Præſtitit at facili fundere verba ſono.
Organa ſi potiùs nollet concedere vocis,
Mitius id nobis, & minor error erat.

Auctor Septingenarius Poeſeos adhuc amator.

EPIGRAMMA CXXIV.

BIs ſeptem exegi dextro mihi numine luſtra,
Addita queis pœnè eſt altera meſſis adhuc.
Geſtio ſæpè tamen Parnaſſi ſcandere culmen;
Pindi meque ſacri per juga raptat amor.
Scilicet excelſi degens in vertice montis,
Jam propiùs Cœlo degere jure reor.

De Ave pulchrè, perfectèque coloribus expressâ, & caveâ inclusâ.

EPIGRAMMA CXXV.

QUam modò pictor avem depinxit callidus arte,
Sensibus hæc poterit nectere pulchra dolos.
Hanc mulcere putes aptam concentibus auras,
Raptam & pennigero dixeris esse gregi.
Si caveam reseres, facilisque repagula laxes;
Præpetibus pennis nixa volabit avis.

In funere Doctissimi, piissimique viri Hieronymi de Castilho Societ. Jesu.

EPIGRAMMA CXXVI.

IMproba castilhum rapuit Libitina disertum,
Intùs alens febrim, quæ pia membra coquat.
Non unum hîc Phœbi sublatum flemus alumnum,
Funere multiplici sæviit illa dies.

Occidit imbutus sacræ vir Palladis arte ;
Rectaque vir doctus scita referre Patrum.
Occidit Aoniæ præstantior incola rupis ,
Virque sciens cytharæ , Pieridumque comes,
Occidit Ausonii cultor , custosque leporis ,
Vindice quo Latii gloria prisca viget.
Possumus hinc stragem , non unum dicere fatum ,
Stamina cùm tanti rupta fuere viri.
Nempè tot heroum tulerit , cùm vixit , honores ;
Fas erit indè virum credere multiplicem.

In funere Melchioris do Rego de Andrade , amplissimo magistratu functi.

EPIGRAMMA CXXVII.

Sontibus infensus fuerat , qui criminis ultor ,
Et ferre impatiens quodlibet urbe scelus.
Vindice quo prisci viguerunt jura Lycurgi ,
Tutaque Romulei scita stetere fori.
Hic jacet exanimis , sero nec lumine cassus ,
Fatorum æternos lege vetante dies.
Hic jacet urbis amor , populi custodia frugi ,
Certior ara inopum , muneris atque sator.
Manibus ergo piis moesti referantur honores ,
Justaque persolvat planctus ubique frequens.
Ritè operata umbris mixto sint omnia luctu ;
Funebris & surgat multa cypressus humo.

In

In funere Doctissimi, Piissimi, Amicissimique viri Petri de Almeyda Societ. Jesu.

EPIGRAMMA CXXVIII.

ASpera ferales edat modò tibia cantus;
 Sollicitentque sonos tristia plectra suos.
Indociles pia vota pati rupere sorores
 Stamina, perpetuo pollice digna trahi.
Plurima surgat humo luctum testata cupressus;
 Stet quoque mæsta Petri manibus ara frequens.
Doctior haud alius victuras condere chartas
 Scriptor, & Ausonio dulciùs ore loqui.
Cultus erat sermo, pressis & copia verbis,
 Quam sibi Velleius, quam sibi Crispus amet.
Fuderat Andino ter carmina digna cothurno;
 Moverat & Flacci pollice fila lyræ.
Dixeris auritas numeris hunc ducere quercus,
 Et Cadmæâ iterùm saxa movere chely.
Dixeris æquoreas nantem Delphina per undas
 Malle hunc impositum sustinuisse jugo.
Quid memorem imbutum cœlesti Pallade pectus?
 Haustaque quìd sacro dogmata fonte loquar?
Ignea vis olli, Cœlo dimissa sereno,
 Nesciit Japeti quam genus antè rapax.
Hinc populi in frugem scivit deducere mores,
 Integer ut vitæ sacra, Deosque colat.

Olli nullus erat quærendi nominis ardor ;
Ulla nec innocuæ laudis anhela sitis.
Quàm recti docilis, quàm mens impervia fuco ;
Et flecti pravo nescia quàmque dolo.
Artibus his plebis studium captavit & Aulæ ;
Artibus his placuit Numinibusque suis.
Tertia sex denis quùm messibus additur æstas ,
Immatura Petrum, sors & iniqua rapit.
Quìd non sydereos feriam clamoribus axes ?
Quìd non hanc diris devoveamque diem ?
Stet tibi perpetuis obductus nubibus æther,
Subtrahat atque suum Phœbus ab Orbe jubar;
Te Jovis imperio fulmen deturpet, & imber,
Gentibus exosam, numinibusque sacris.
Manibus apta tamen solvantur justa beatis,
Cunctaque sint umbris ritè operata piis.
Quas meruit lacrymas rapto libemus amico ;
Sparsaque sit violis, tristis & urna croco,
Lilia fundantur, tumuloque appensa silenti
Stet lyra, stet nullo pectine pulsa chelis.

De effigie clarissimi viri Raphaelis Bluteavii Cler. Reg. coloribus expressâ.

EPIGRAMMA CXXIX.

HÆc Raphaelis erat quondàm viventis imago :
Si cupias mentem noscere, scripta lege.

De

De effigie clarissimi viri Emmanuelis Caietani de Souza, Cler. Reg. Coloribus expressâ.

EPIGRAMMA CXXX.

HÆc Souzæ effigies : omnes quas calluit artes ;
Ingeniique aciem nemo referre potest.

SEQUENTIA MISSÆ PRO DEFUNCTIS

Versibus Exametris.

D*IES iræ, dies illa*
Solvet sæculum in favillâ;
Teste David cum Sibyllâ.

Fervens illa dies irâ, spiransque furorem
In cineres Orbem solvet, tenuesque favillas;
Teste Sibyllarum monitu cum Davide teste.

Quantus tremor est futurus,
Quandò judex est venturus,
Cuncta strictè discussurus.

Membra tremor quatiet miserè languentia quantus,
Judicis adventus fuerit cùm proximus Orbi,
Crimina discutiat strictè qui cuncta severus.

Tuba

Tuba mirum spargens sonum
Per sepulchra Regionum
Coget omnes ante thronum.

Horrificum tuba rauca sonum mortalibus edet,
Corpora quo gelidis Regionum extracta sepulchris
Colligat, atque throno faciat se sistere celso.

Mors stupebit, & natura,
Cùm resurget creatura
Judicanti responsura.

Naturam, mortemque premet stupor improbus, auras
Rursus ad Æthereas cùm gentes undique surgent,
Reddere quas judex cogat responsa supremus.

Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde Mundus judicetur.

Proferet ipse olim scriptum miro ordine librum,
Omnia terrigenùm quo plenè gesta notantur,
Æquarum legum vindex, ut judicet Orbem.

Judex ergò cùm sedebit,
Quidquid latet, apparebit;
Nil inultum remanebit.

Judex ergò æquus solio cùm sederit alto,
Omnia, quæ tenebris olim latuere, patebunt,
Judicioque scelus nullum remanebit inultum.

Quid sum miser tunc dicturus,
Quem patronum rogaturus,
Cùm vix justus sit securus.

Dicere quid potero miseris tot casibus actus?
Quemvè rogaturus dubiâ sum lite patronum?
Cùm casto securus erit vix pectore justus.

Rex tremendæ Majestatis,
Qui salvandos salvas gratis,
Salva me, fons pietatis.

Qui magestatem geris, ò Rex, ore tremendam,
Et salvare soles gratis, Cœloque beare,
Mî concede frui pietatis fonte perenni.

Recordare Jesu pie,
Quòd sum causa tuæ viæ,
Nè me perdas illâ die.

Quòd fuerim tibi causa viæ, prædulcis Jesus,
Te precor, æternùm memori sub pectore serva,
Nè funesta dies fato me vexet acerbo.

Qua-

Quærens me sedisti lassus,
Redemisti crucem passus:
Tantus labor non sit cassus.

Sedisti vario quærens me tramite lassus;
Meque crucis pœnam redemisti passus acerbam
Nè cassus fiat labor iste, nec irrita cura.

Juste judex ultionis
Donum fac remissionis
Antè diem rationis.

Quòd si, sanctarum vindex æquimisse legúm;
Judicio meritas teneor persolvere pœnas;
Ante diem, quæso, rationis crimina solve.

Ingemisco tanquàm reus,
Culpâ rubet vultus meus,
Supplicanti parce Deus.

Effundo gemitus noxarum mole gravatus,
Multiplicique rubet pudibundus crimine vultus;
Parce Deus misero, veniam mihi præbe roganti,

Qui Mariam absolvisti,
Et latronem exaudisti,
Mihi quoque spem dedisti.

Crimine

Crimine qui Mariam solvisti, quique latroni
Te facilem præbes votis, precibusque moveris,
Spem mihi non dubiam pariter priùs ipse dedisti.

Preces meæ non sunt dignæ,
Sed tu bonus fac benignè,
Nè perenni cremer igne.

Prosequor indignis precibus tua Numina forsan?
Sed bonus, & clemens es, nec patiere benignus
Me stygias mitti in sedes, ignemque perennem.

Inter oves locum præsta,
Et ab hædis me sequestra,
Statuens in parte dextrâ.

Inter oves positus, longèque remotus ab hædis,
Ad dextramque tuam sublimi sede locatus
Fac, ut cælicolûm felix ego cætibus addar.

Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis
Voca me cum benedictis.

His confutatis, qui crimina dira patrarunt,
Atque Erebi addictis flammis ultricibus atri,
Ad superi me regna Poli concede vocari.

Oro ſupplex, & acclinis,
Cor contritum quaſi cinis,
Gere curam mei finis.

Te ſupplex, ſcelerum quæſo te pondere preſſus,
Cordeque contrito cineris fumantis ad inſtar,
Cura mei finis tibi ſit, ſortiſque benignæ.

Lacrymoſa dies illa,
Quâ reſurget ex favillâ
Judicandus homo reus.

Flebilis illa dies, toti lacrymoſaque mundo,
Qùm reus æthereas iterùm remeabit ad auras;
Examen ſcelerum ut ſubeat, cedente favillâ.

Huic ergò parce Deus,
Pie Jeſu, Domine,
Dona eis requiem amen.

Huic ergò ancipiti mentem formidine preſſo
Parce Deus, veniam clemens concede roganti,
Æternam requiem facilis da gentibus, amen.

EADEM SEQUENTIA
Verſibus Saphicis.

DIES iræ, dies illa
Solvet ſæculum in favillâ,
Teſte David cum Sibyllâ.

Æſtuans iræ ſtimulis acerbæ,
Heu dies orbem miſerè in favillas
Solvet, ut ſacro canit ore David,
Utque Sibylla.

Quantus tremor eſt futurus,
Quandò judex eſt venturus,
Cuncta ſtrictè diſcuſſurus.

Quantus infauſtæ tremor eſt futurus
Gentis, excelſo veniens Olympo
Cuncta quùm ſtrictè ſcelerata quæret
Crimina judex.

Tuba mirum ſpargens ſonum
Per ſepulchra regionum
Coget omnes ante thronum.

Sparget horrendum tuba rauca murmur,
Membra quo ſurgant iterùm ſepulchris,
Seque funeſtum rediviva ſiſtant
Antè tribunal.

Mors ſtupebit, & natura,
Quùm reſurget creatura
Judicanti reſponſura.

Morte, naturâque ſtupente, gentes
Haurient vitam, ſcelerum daturæ
Judici cauſſas, licet ora terror
Urgeat ingens.

Liber ſcriptus proferetur,
in quo totum continetur,
Undè Mundus judicetur;

Gentis humanæ liber ergò pandet
Geſta, veraci calamo notata,
Cenſor ut morum gravis indè totum
Judicet Orbem.

Judex ergò quùm ſedebit,
Quidquid latet, apparebit,
Nil inultum remanebit.

Ergò

Ergò perſpectum veniet ſedenti
Judici, quidquid tenebris latebat:
Nil erit velatum oculis, inultum
Nilque manebit.

Quid ſum miſer tunc dicturus,
Quem patronum rogaturus,
Quùm vix juſtus ſit ſecurus.

Ore quas fundam miſer ipſe voces,
Quem legam cauſſæ dubiæ patronum,
Juſta vix quandò irrequieta curis
Corda vacabunt?

Rex tremendæ Maieſtatis,
Qui ſalvandos ſalvas gratis,
Salva me, fons pietatis.

Cui potens, ò Rex, reſidet tremenda
Fronte maieſtas, hominesque gratis
Quos velis ſervas, mihi mitis eſto
Fons pietatis.

Recordare Jeſu pie,
Quòd ſum cauſſa tuæ viæ,
Nè me perdas illâ die.

Quod

Quòd viæ quondàm tibi caussa tantæ
Extiti, quæso, maneat repostum
Mente, ne casu miser ipse perdar
Actus acerbo.

Quærens me sedisti lassus,
Redemisti crucem passus,
Tantus labor nè sit cassus.

Consides lassus per aperta quæque
Me sequens, gentes redimisque passus
Tu crucem; nè sit labor iste tantus
Irritus Orbi.

Juste judex ultionis
Donum fac remissionis
Antè diem rationis.

Justa cui legum placet, & severa
Ultio, pœnas meritas remitte,
Antequàm tempus rationis instet
Crimina plectens.

Ingemisco tanquàm reus;
Culpá rubet vultus meus,
Supplicanti parce Deus.

Inſtar emitto gemitus nocentûm;
Et genæ culpâ nimiâ rubeſcunt :
Parce placatus; miſeriſque præſta
Vocibus aurem.

Qui Mariam abſolviſti,
Et latronem exaudiſti,
Mihi quoque ſpem dediſti.

Qui pius noxas Mariæ remittis;
Quique te præbes facilem latroni,
Ipſe ſpem nobis pariter ſalutis
Sponte dediſti.

Preces meæ non ſunt dignæ;
Sed tu bonus fac benignè,
Nè perenni cremer igne.

Te parùm dignis precibus fatigo:
Me tamen clemens, faciliſque flecti
Nè ſinas Orco miſerè cremari
Igne perenni.

Inter oves locum præſta,
Et ab hædis me ſequeſtra,
Statuens in parte dextrâ.

Dexterâ

Dexterâ, quæſo, liceat locari,
Meque oves inter placidas adeſſe,
Indè depulſis, poſitiſque longè
Turpiter hædis.

Confutatis maledictis;
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.

Sontibus pœnas ſcelerum coactis
Pendere, addictis Erebique flammis;
Me choris Divum, ſuperumque lætis
Inſere templis.

Oro ſupplex, & acclinis;
Cor contritum quaſi cinis,
Gere curam mei finis.

Corde compuncto, cineriſque poenè
Inſtar attrito, tibi cura finis
Sit mei, quæſo, tibi cura ſortis
Sitque benignæ.

Lachrymoſa dies illa,
Quâ reſurget ex favillâ
Judicandus homo reus.

Heu dies Orbi lachrymoſus inſtat,
Quo reos vitæ miſeræ favilla
Reddet; examen ſubeant, ut æquo
Judice coràm.

Huic ergò parce Deus,
Pie Jeſu Domine,
Dona eis requiem, amen.

Ergò eis poenas ſcelerum remitte,
Vocibus flexus miſeris Jeſus;
Annue & votis, requiemque dona
Omnibus, amen.

PROTESTATIO.

QUùm in hoc libello Latini ſermonis integritati conſulentes Fata, Numina, Deos, Jovem, aliaſque hujuſmodi voces adhibemus, eæ non niſi Chriſtiano uſui, notionique ſubjectæ à nobis uſurpantur; neque enim nobis ſanctius aliquid, antiquiuſque eſt, quàm diſciplinis, inſtitutiſque à Sanctâ Romanâ Eccleſiâ traditis firmiter, ac perpetuò adhæreſcere.

IN-

INDEX EPIGRAMMATUM

I li-

Pi-

IN-

INDEX LEMMATUM.

A

B

For-

R ii Li-

M

N

O

Pater

P

R

S

T

Vale.

V

F I N I S.

ERRATA.	CORRECTA.
pag. 2. Adeste	Adesse.
pag. 15. Aulæ	Aula.
pag. 41. Caucassa	Caucasiâ.
pag. 3. Magestatem	Magistatem.





